

1641.

56.

2A

1728

19

DISSE^TRAT^O JVRIDICA
DE
**DOTE ALIISQUE BONIS
CONSTANTE MATRI-
MONIO REPETENDIS**

QVAM
PRAESIDE
**IOANNE FRIDERICO
VVERNHERO D.**
FAC. JVRID. ASSESS. EXTRAORD. CVR.
PROV. ET CONSIST. ECCL. ADVOC.
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
D. I. SEPT. M DCC XXVIII.
IN AVDITORIO JCTORVM
HORIS CONSVETIS
VENTILANDAM PROPONET
AVCTOR ET RESPONDENS
ANDREAS LENCKE
WERNESGRVNO-VARISC.

VITEMBERGAE
EXPRESSIT CHRISTIANVS ZIMMERMANNVS ACAD. TYP.

N.
DISSESSATIO JURIDICA
DE
DOTE ALIAE HINC
CONSTANTE MATERI
MOCHESTIS

JOANNE FREDERICO
VAN DER HORST
LAC VARNI VESSE EXTRADITIONE
HOC ET CONSTITUTUS AD hoc
TAGI DEI ALEXANDRI REGIS
IN VADUROICITORVM
TACIO ET PECUNIAS
ANDREAS LINCKE

EDITIONIS CHIRURGICARUM & PHARMACEARUM MED. TIT.

1641

ILLVSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
CAROLO
DE METZSCH
SERENISSIMO AC POT.
POLON. REGI AC ELECTORI
SAX. A CONSILIIS CAMERAE
IN PROVINCIIS NEC NON
AB ASSISTENTIA CAMERAE
DYNASTAE IN REICHENBACH
FRIESEN BRVN
ET RELIQA
DOMINO MEO LONGE
GRATIOSISSIMO

ILLVSTRIS
EXCELENTISSIMO DOMINO
ATQVE
EXCELENTISSIME DOMINE
DOMINE GRATIOSE.

DE METSCH
SERENISSIMO ACPOT
POLONIA ET LITHUANIA
SAXONIA COSENZA SIBURAB
IN PROVINCIIS NIGI MON
AB ARZELINIA CAMPFRA

Beneficia illa quam plurima, ab Illustri TVA Excellentia eo in primis tempore in me collata, cum per aliquot annos in expediendis Mandatis Regiis a TVA pen derem

derem directione, animo non exciderunt, sed potius perpetuum mihi fuerunt incitamentum, ut gratum saltenti animum, meumque ad habendas gratias ardorem, exponerem. Enim uero cum commoda semper mihi defuerit occasio, Excellentiae TVAE quam deuinctus sim ad gratias agendas, apertius declarandi. Itaque non potui, quin iam peregrinas has pagellas TVO Nomi inscriberem, simulque mentem beneficiorum memorem hac ratione manifestarem. Accipe ergo hoc qualecunque grati animi pignus, et fidei in TE meae monumentum, neque porro clementi TVO Patrocinio atque fauore dignare. Quod reliquum est, Deum immortalem supplicibus oro precibus, ut annos TVOS augeat, TEque saluum, sospitem, et omni

ANDREAS LENCIUS

omni prosperitatis genere accumula-
tum ac florentissimum, cum tota Illu-
stri Familia, ad seram usque senectu-
rem seruet ac tueatur!

**TVAE ILLVSTRIS
EXCELLENTIAE**

humilisimus Clens

ANDREAS LENCKE.



DE DOTE, ALIISQUE BONIS, CONSTANTE MATRIMONIO REPETENDIS.

§. I.

Dos ad sustinenda matrimonii onera inferuntur. Sunt illa onera, familiam curare, uxorem alere, et, si quos alios sumtus necessitas postulat, facere etc. Quae uti perpetua constantis matrimonii sunt incommoda, ita rationis est, neque dotem, quamdiu matrimonium durat, restituendam esse a marito. Ex quo ipso capite causa dotis perpetua dicitur *l. r. ff. de iur. dot.* Imo neque spontanea dotis restitutio de jure validia est, cum eadem donationis speciem inuoluat, quae tamen inter conjuges per *tot. tit. ff. d. donat. int. uir. et uxor.* non subsistit. Quicquid ergo damni maritus ex ejusmodi restitutione senserit, et e contrario lucri ad uxorem exinde redundarit, id omne reuocare maritus non prohibetur.

A

Con-

2 DE TOTE ALIISQVE BONIS

Conceditur haec ei facultas *l. 20. C. d. jur. dot.* clarissimis uerbis. Quamuis illud sponte sua pateat, et hanc renunciationem juris, circa dotem marito competentis, conualidari iis in casibus, in quibus alias inter conjuges donationes quodam juris munimine sustinentur.

§. II.

Dantur tamen casus, in quibus cum per leges, tum communes DD. opiniones, et dotis restitutio recte fieri, et maritus inuitus ad illam faciendam compelli potest. De ipsis jam mentem nostram in paucis hisce pagellis exponere uisum est. Primariam exceptionem doctrinae ante traditae, de dote non, nisi soluto matrimonio, repetenda, statuunt causam pietatis, qua uxor e gentibus liberis ex alio matrimonio suscepitis, parentibus, aut fratribus etc. subuenire allaborat. Eum itaque in finem dotem repeti posse, communis est sententia. Pro qua in primis facit *l. 20. ff. solut. matrim. uerb.* Quamuis mulier non in hoc accipiat, constante matrimonio, dotem, ut aes alienum soluat, aut praedia idonea emat; sed ut liberis ex alio viro e gentibus, aut fratribus, aut parentibus, consuleret; uel ut eos ex hostibus redimeret; quia justa et honesta causa est, non uidetur male accipere, et ideo recte ei soluitur; idque et in filio familias obseruatur. Eadem

CONSTANTE MATRIMONIO REPETENDIS.

dem fere uerba sunt l. 73. §. 1. ff. d. jur. dot. manen-
tem matrimonio non perditurae uxori, ob has crusa-
dos reddi potest, ut sese, suosque alat, ut fundumido-
num emat, ut in exilium, ut in insulam relegato pa-
renti praeficit alimonia, aut ut egentem Virum, fra-
trem, sororemue sustineat. Accedit porro com-
muni sententiae hoc momentum ex juris analogia,
quod dos plerumque a parentibus proficiscatur,
et reuera donetur, donatori, e contrario, ne
egeat, per l. 19. §. 1. ff. d. re judicat. prospicien-
dum sit. In primis uero liberi ad parentes alien-
dos, ipso Juris Naturalis et ciuilis praecepto, ob-
ligantur. Maritum itaque uxori, id obseruaturae,
non aduersari debere, pium, justumque uidetur,

§. III.

Verumenim uero, recte subductis rationibus,
omnia haec argumenta, non tanti ponderis exi-
stimo, quin jure meritoque diuertere ab iisdem,
et statuere liceat, maritum allegatis in casibus neu-
tiquam ad dotem restituendam compelli posse.
Manifestum enim est, pacta in dote constituen-
da intercedere, et hanc ad onera matrimonii su-
stinenda inferri. Iam uero jus alicui ex pacto
quaesitum ipsi inuitio auferri nec potest, nec de-
bet, cum a pactis non nisi mutuo contrahentium
consensu recedere fas sit, neque casus superueni-

DE DOTE ALIISQUE BONIS

ens et unius paupertas sit legitimus tollenda^e obligationis modus. Praeterea causa dotis constitutae et onera matrimonii perpetuo durant, non ergo apparet, quomodo haec solius mariti humeris, contra datam fidem, imponi queant. Neque in citatis LL. quicquam deprehendo, ex quo pro contraria sententia aliquid excuspi possit. Sermo enim ibi solum est de casu, quo maritus uxori dotem sponte praestitit, et deciditur, id cum effectu liberationis fieri in allegatis exemplis posse, ita ut maritus amplius, actione de dote repetenda, conueniri nequeat, neque solutio pro ea habeatur, quae perditurae uxori facta est. Patet id ex uerbis enarratis: *non male uidetur accipere, dos reddi potest etc.* Probe itaque separandae sunt quaestiones, utrum teneatur maritus inuitus, et num possit uolens, dotem uxori restituere. Id nec ego in dubium uocauerim, sed illud simpli-
citer negandum duco. De donatore quod affertur, neque ad donationem, quae ob causam fit, pertinet, neque uspiam, quod quidem meminerim, donatori ^{attu} necessitas alendi donatorem iniungitur, sed huic solum in LL. de beneficio competentiae prospicitur; de casu autem, quo donator tempore praestitae donationis solvendo fuit, et postea ad incitas redactus, nihil disponitur.

Male

CONSTANTE MATRIMONIO REPETENDIS.

Male etiam confunduntur officia, parentum, liberorum etc. et affinium. Liberi quidem tenentur inopes alere parentes, sed de suo et bonis, apud tertium jure suo non constitutis. Neutram e contrario ipsis conceditur facultas, propter alimenta, parentibus praestanda, bona ex alterius possessione, in qua justo titulo deprehenduntur, reuocare. Affinibus etiam nullo jure necessitas alendi se inuicem injungitur, imo neque proximis consanguineis. Non enim possum non illos notare, qui itidem, secundum communem opinionem, fratres ad se alendos, in subsidium adigi posse putant, suamque sententiam ex LL. cit. probatum eunt, in quibus tamen non plus praesidii inueniunt, quam quidem pro dote, ob pietatem durante matrimonio repetenda, continetur. Pariter nimirum agitur de libera voluntate, neutram uero de necessitate; et potest uxor dotem a marito redditam impendere alimentis fratribus et sororum, sed propterea non tenetur.

§. IV.

Quae hactenus disceptauimus, procul dubio mouerunt BEYERVM, ut posit. ad ff. tit. solut. matr. de communi sententia dubitaret, et §. 7. cit. l. ita scriberet: *durante matrimonio uxor dotem non re-*

6 DE DOTE ALIISQUE BONIS

petit. Excipit Peretz ad Cod. si dos constant. n. 3. Casus
1. necessitatis 2. evidentis utilitatis. 3. incumbentis pietatis. An recte, ipse uiderit. Non dubito etiam de Paraphernalibus in Saxonie ^{superiori} idem afferere. Quamuis enim rationes pro nostra sententia in superioribus adductae huc non quadrare uideantur, alia tamen ratio est in promtu. Ususfructus de LL. Saxonice marito in omnibus uxorius paraphernalibus bonis competit. Hoc jus, quod per leges ipsi tribuitur, nuspam ob indigentiam parentum aboletur, neque ergo ab ipsa uxore ex tali ratione adimi potest. Liberum enim domini circa res suas, per Legis dispositionem alii, ut iis fruatur, concessas, non est arbitrium; et maxime in uxore id uerum est, quae absque consensu mariti, de bonis suis non ita simpliciter disponere potest. Extra Sax. uero, deficientibus statutis et consuetudinibus, marito ususfructus non eodem modo competit; itaque nihil obstat, quo minus ibidem, alimentorum parentibus, et, si uelit, fratribus etc. praestandorum causa, paraphernalia alienari queant.

§. V.

Potior dotem constante matrimonio repetendi causa est inopia mariti. Ob quam per manifestas legum dispositiones facultas haec uxori concedi-

CONSTANTE MATRIMONIO REPETENDIS. 7

ceditur. Ita enim habet l. 24. ff. solut. matrim. Si
constante matrimonio, propter inopiam mariti mulier
agere uolet; unde exactionem dotes initium accipere
ponamus? et constat, exinde dotis exactionem com-
petere, ex quo euidentissime apparuerit, mariti facul-
tates ad dotis exactionem non sufficere. et l. 29. C. d.
jur. dot. ubi adhuc matrimonio constituto, maritus ad
inopiam sit deductus, et mulier sibi prospicere uelit,
resque sibi suppositas pro dote et ante nuptias dona-
tione, rebusque extra dotem constitutis, tenere, non
tantum mariti res ei tenenti, et super his adjudicium
vocatae, exceptionis praefidium, ad expellendum ab
hypotheca secundum creditorem praestamus: sed et-
iam etc. Ut autem haec repetitio de jure sustinean-
tur, requiritur 1. uera dotis illatio, 2. inopia mari-
ti, et utriusque probatio. Dotem illatam esse,
probari potest, stylo alias in probationibus rece-
pto. Neque hic, si cum solo marito agatur, quic-
quam peculiare occurrit. Vnde et nuda ipsius
epocha de dote accepta sufficit, quae tamen
contra credidores sufficiens nequitam habe-
tur, ex ratione satis manifesta, quod in ipsorum
fraudem facile cum uxore, maxime ob lucrum ad
se exinde redundaturum, colludere potuerit. Sic
enim, finito concursu, haberet maritus unde se
cum uxore, quae nihil intulit, sustentaret. Sed
ea-

8 DE DOTE ALIISQVE BONIS

eadem fraus, sicutum marito solo agatur, nemoque
extraneus concurrat, locum inuenire ne-
quit. Recte itaque tunc probatio per apocham
mariti instituitur, quamvis eadem exceptio dotis
non numeratae salua sit; de qua exceptione uid.
tot. tit. Cod. d. dot. caut. non numer. et Nov. 10a.
Cap. 1. et 2. Illud tamen in hac probatione singu-
lare est, quod DD. testes alias inhabiles in praxi,
fauore dotis, frequenter admittant. Vid. DN.
VVERNHER. Vol. VII. p. 505. Inopiam quod atti-
net, haec pro diuersitate materiarum diuersimo-
de aestimatur. Aliquando inopes nomine uenit,
qui bonis quidem immobilibus gaudet, sed parata
pecunia destituitur, quale exemplum habetur in
Nov. IV. Cap. 3. Iterum inops dicitur in causa cri-
minali et processu accusatorio, qui minus, quam
50. aureos, in bonis habet, l. 10. ff. d. accusat. et in-
script. item, qui impar est tutelae gerendae, ex eo,
quod uictui quaerendo uix sufficiat. §. 6. I. d. ex-
cusat. tut. Iterum hoc titulo insignitur, qui tan-
tum non habet in facultatibus, ut Aduocatis ac
Judicibus sportulas exsoluere queat; qua propter
ipsi jura pauperum in praxi indulgentur. Nec
desunt uaria statuta, secundum quae ex certa bo-
norum quantitate pauper aestimatur. Praefenti
vero casui nulla harum acceptiōnū conuenire
uide.

inops.

CONSTANTE MATRIMONIO REPETENDIS.

videtur, ideoque res Judicis arbitrio relinquenda est; uti plerumque sit, quoties in jure de pauperi sermo est. CARPZ. P. 1. *Conſt. 23. def. 14. num. 5. B. MENKEN. Proc. tit. 1. §. 30.* In primis uero paupertas ex eo colligitur, quod mariti facultates ad dotis exactionem non amplius sufficiant. cit. l. 24. ff. *solut. matrim.* Quod ipsum tamen non ita crude accipiendum, ac si praecise tam diu expectandum foret uxori, dum nec tantum in bonis mariti reliquum sit, ex quo ipſi satisfieri queat; Parum enim rationi conueniret haec doctrina, cum ita mulier in manifestum dotis discrimin adduceretur, neque unquam integrum recipere posset; iura e contrario malint, initio subueniri, quam post vulneratam causam remedia quaeri. Sufficerit itaque probasse, maritum uel soluendo non esse, uel breui non esse futurum. Quae probatio, concursu aborto, plane necessaria non est, quia tunc res ipsa loquitur, et creditores, quibus sub die debetur, admittuntur, ac inter hos uxor utique commemoranda est. Alias uero probatio ex circumstantiis instruitur, quo referunt, si bona immobilia possidere desierit, nomina actiu exegerit, et prodegerit, in solutione debitorum morosus fuerit, negotiis intricatis ac difficultibus se immiscuerit, unde paucis feliciter

eluctari contigit, v. g. lapidi Philosophorum eruendo, aut arti aurifactoriae indagandae se dederit, ac propterea metus sit, ne in lapidem stultorum more solito impingat, atque cum Phrygibus serius tandem sapere discat. Vid. CARPZ. Proc. tit. 21. Art. num. 50. sqq. Referunt huc porro, si a patre sit exhaeredatus. cit. l. 24. §. 1. ff. solat. matrim. plus quotannis impendat, quam in redditu habet, aut alias finem modumque expensarum excedat. Sed in his omnibus iterum res principaliiter nihilominus ad judicis arbitrium reddit. Leuior tamen demonstratio, quae caeteroquin, et v. g. in consequendis pauperum juribus, atque imponendo arresto etc. admittitur, in casu proposito ob uerba l. cit 24. ff. euidentissime apparuerit, meo quidem judicio non sufficit. Non enim hic agitur tantum de securitate creditoris, uti in casibus allegatis, sed etiam eripiendo jure, quod marito competebat. Admittendus itaque hic est ad reprobationem, et causa plenius discutienda, ne possessione rei dotalis praeter meritum defraudetur.

§. VI.

Surrogatum dotis dotalitium esse, satis quidem inter omnes constat: cum regulariter loco dotis constituantur uxori in bonis mariti, ipsamque do-

tem

CONSTANTE MATRIMONIO REPETENDIS.

ii

tem absorbeat, uti expresse fancitum *P. II. Conf.*
El. 42. add. BEYER. Specim. Iur. Germ. Lib. II. Cap.
15. §. 34. Nullum itaque dubium uideri poterat,
quoniam eodem jure, uti ipsa dicitur, repeti queat; nisi
dicam nobis scriberet BRVNNEMAN. qui ad l. 29.
et cutb. donationem *C. de Iur. dot. num. 22. sqq.* hanc
ipsam rationem in dubium uocat, eamque minus
probabilem uocat, propterea, quod dotalitia ex-
pressae in casum mortis constitui soleant, et pin-
guiora sint dotalitii jura, quam donationis propter
nuptias, et licet illud in huius locum surrogetur,
sint tamen diuersae qualitatis. Sed nescio, quid
clarissimum Auctorem induxit, ut dubitaret
dere, quae meo quidem judicio in praxi pro in-
dubitata habetur. Solent enim uxores, dotali-
tium petentes, concursu oberto, uiuente licet
marito, inter creditores loco competenti locari,
uid. CARPZ. *P. I. Conf. 28. Def. 92. Add. DN. DE*
BERGER. Oec. p. 334. not. 1. Neque de hoc ipso
item mouet Id. BRVNNEM. *Tr. de Proc. Concurs. Cre-*
dit. cap. V. §. 34. indistincte dotalitio locum inter
creditores assignans. Et sane, si aliquid tribuen-
dum foret argumento, de constitutione in casum
mortis, paritatione sequeretur, neque dotem du-
rante matrimonio repeti posse, cum et ipsa non
nisi soluto matrimonio repeti queat. Ne ergo

B 2

jure

DE DOTE ALIISQUE BONIS

jure suo alias indulto defraudentur praeter meritum uxores, rectius regulae, qua surrogatum retinet naturam ejus, cui surrogatur, inhaerendum esse judico. Illud tamen singulare obtendunt, si dotalitium ob inopiam mariti petatur, quod idem non aliter debeatur, quam si reuera dos illata fuerit. BEYER. *Iur. Feud. Cap. VIII.* §. 144. cum alias, si dotem promissam cum usuris post mortem demum mariti, inferre parata sit uxor, a dotalitii exactione non excludatur. *Dec. El. 55.* Verum eo priuilegio semel concessu uxoribus, ut dotis non tantum illatae loco petere dotalitium possint, sed etiam liberum ipsis sit, dotem promissam cum usuris inferre, et ad dotalitium prouocare, sane non appareret, quomodo ob aës alienum jure suo excludi uxor possit. Nec obstat, quod de lucro certet captando. Primo enim dotem uicissim perdit, et sic lucrum ex dotalitio speratum sat magno constat; deinde incertum est, quam diu sit perceptura dotalitium, et propterea rursus in certum est, num aliquod subsit lucrum. Porro ad rem non facit, quod ita ipsi nihil absit ex bonis, et dos, nondum quippe illata, nullo modo pericitetur, adeoque nec justam conquerendi causam habeat; immo imputari ipsi possit, quod, si dotalitio frui intenderit, in mora dotis inferenda fuerit. Sufficit

CONSTANTE MATRIMONIO REPETENDIS. 13

eit, quod leges hic aliquid uxori indulgeant, idque jus mariti facto auferri nequeat. BARTH. 7r.
de Gerada Cap. 17. §. 20. seq. Illud uero certum est, neutquam dotalitium deberi, si nec dos promissa, nec illata, nec dotalitium promissum fuerit. Dec.
El. ss.

§. VII.

Doti affinis est donatio propter nuptias, quam itidem ob mariti inopiam petendi facultas conceditur uxori *cit. l. 29. C. d. jur. dot. et autb. ibid.* Hanc uero quod attinet, notum est, eandem uel in securitatem, uel remunerationem dotis constitui. Siquidem in securitatem dotis tantum constituta fuerit donatio haec, et dos jam praestita uxori, dubio carere uidetur, frustra donati nem propter nuptias exigi; sin nondum praestita, illam persequi licet, donec de dote satisfactum fuerit. At ubi in remunerationem dotis constituta donatio propter nuptias, ita ut, soluto matrimonio, et dos et donatio propter nuptias, ad uxorem reuertatur, utique manifestum versatur uxorius interesse, et propterea et dos, et donatio propter nuptias, una repeti possunt, quorsum etiam procul dubio collimant uerba *l.c.* Quamuis caeteroquin in eo manifesta sit differentia, quod dos singulari gaudeat praelationis priuilegio, sed

B 3

do-

donatio propter nuptias inter creditores hypothecarios collocetur, uti quidem expresse constitutum *l. 12. §. 2. quipot. in pign.* In Saxonia uero non aliter hypotheca competit uxori, intuitu hujus donationis, quam si eadem expresse fuerit constituta. Idque tam nouo, quo omnes hypothecae racitae sublatae, quam ueteri juri conuenit.

§. VIII.

Porro hue non incommode referuntur paraphernalia, in quibus quid juris habeat maritus, et iure Civ. et Sax, huc repete re nolumus. Illud nobis suffecerit monuisse, repetitionem paraphernalium etiam durante matrimonio, si maritus ad inopiam redactus, saluam esse. Id quod ex *cit. l. 29. C. d. jur. dot. verb. rebusque extra dotem constitutis*, manifesto appetet. Et propterea inter creditores hypothecarios simplices uxori locum tribui, *l. n. C. de paet. conv. nec non jure Sax. O. P. V. tit. XLIII. §. 1. et 2. it. tit. XLV. §. 2.* satis notum est.

§. IX.

Iure Saxonico peculiariter introducta sunt, *Gerada, Morgengabe, cibaria (Mustbeil)* De quibus concurso oborto, quid obtineat, paucis uidendum. Ad id, ut res Geradica intelligatur, uulgo sufficere creditur, rem ad usum, mundum uel ornatum muliebrem, pertinentem, ab uxore in sua possessione

et

CONSTANTE MATRIMONIO REPETENDIS.

et custodia habitam fuisse. Accuratus incedit
BARTH. *Tr. de Gerada Cap. IV.* §. 1. qui distinguit, ut
trum res a marito tradita fuerit, animo dominii
transferendi, an commodandi, uel fuscienda et
custodiae causa. Posteriori casu rem Geradicam
negat, priori uero affirmat. Quae sententia, quam-
uis in praxi plerumque obtainere dici queat, tamen
et hic multa esse, quae desiderentur, solide demon-
stravit DN. VVERNHER *En. X.* Licet enim res a ma-
rito animo donandi tradatur uxori, tamen dona-
tiones inter conjuges non ualere, tristissimi juris
est. Idque intuitu Geradae sublatum esse, nuspi-
am habetur. Vnde et concursu creditorum ob-
orto, nihil juris in ejusmodi rebus, a marito profe-
ctis, tribuendum uxori. Cum enim reuocatio rerum
donatarum marito salua sit, et creditores in jura de-
bitoris succedant, neque ipsis eadem reuocatio de-
negari posse uidetur. Supponendum uero, rem ta-
lem reuocandam non ad necessarium uestitum et a-
mictum pertinere. Hic enim ad alimenta uxori de-
bitare refertur, et quicquid ejus nomine datur, non
tantum licite datur, sed etiam dominii translatio-
nem coniunctam habet, et cessante causa prohibita-
nis, de donatione inter conjuges, reuocari nequit.
Quod et in reliquis casibus tenendum, in quibus
donationes inter conjuges non sunt prohibitae.

Cae-

Caeterum et illud certum est, uxorem, quae res aliquas ceu Geradicas possidet, ex hac possessione dominam praesumi, donec contrarium probetur. Generale hoc est, quod possessio probare, aut titulum possessionis edere non teneatur. Itaque creditores contra uxorem acturi, rem a marito perfectam, probare debent. E contrario, ut uxori de Gerada contra maritum agendi facultas competit, uelante matrimonium possessa, uel durante matrimonio aliunde, quam ex re mariti, quae sita, aut certe ab ipso marito pro necessario amictu, aut ex causa non prohibita, concessa esse debet. His in casibus ergo Gerada repetitur, et si in natura, quod ajunt, adhuc extet, uxor jure dominii eandem vindicat ante alios creditores. Ord. Proc. tit XLIII § 4.

Si uero non amplius extet, et marito concedita fuerit, inter chirographarios alios collocatur absque hypotheca. Cujus ratio in eo est, quod de bonis receptitiis, si marito aliquid crediderit, nulla gaudeat hypotheca. Ord. Proc. l. c. §. 2. Atqui neque ad dotalia, neque paraphernalia, Geradam referri, neque aliis bonis quam receptitiis commodius accenserri posse, per se patet. Add. CARPZ. P. II. Conf. 24. Def. 4. Denique quod attinet ad cibaria (*Musstheil*) et Morgengabam sensu iuris Sax. acceptam, quo etiam oves rectius referri docet

BARTH.

CONSTANTE MATRIMONIO REPETENDIS.

BARTH. cit. Tr. von der Gerade p. 206. notum est, eadem deferri, iure statutario, instar successionis; iam uero uiuentis nulla est haereditas. Ergo, durante matrimonio, nulla propterea de jure conceditur actio, sed neque concursu post mortem mariti moto propterea aliquid debetur. Ord. Proc. Tit. XLIII. §. 4. nisi forte hypotheca desuper legitime constituta, quo casu inter hypothecarios uxor ceu creditrix locatur. Interim nihil hoc causa uxori, uiuo marito, exsoluitur, sed quantitas iusta ex massa praecipitur, et ei rei destinatur ita, ut maritus, uel creditores ipsius nomine, usuras usque ad illius mortem percipient. BARTH. l. c. cap. VI. §. 15. Verum de quantitate illa definienda, siquidem in pactis dotalibus uel alias non definita, dubium non leue emergit. Mihi quidem, arbitrium ad praesentis temporis aestimationem reduci, imo nec aliter commode res expediti posse, uidetur.

§. X.

Dictum hactenus, quae bona, durante matrimonio, ab uxore repeti queant ob mariti inopiam. Iam porro nihil differentiae agnosco, siue maritus eadem bona lucraturus sit, soluto matrimonio, siue non. Evidem illud dubiam rem reddit, quod causa restitutionis cessare videatur, et alias de iure non permittatur, rem exigere, quam quis rursus restitu-

C

ere

18 DE DOTE ALIUSQUE BONIS

ere tenet. Verum enim uero primo pactum de dote lucranda tantum in illum casum initur, si matus superstes uxori fuerit. Nam conuentio de simpliciter lucranda dote inutilis est l. 16 ff. de pact. dotal. Atqui incertum est, uter diem prior sit obiturus supremum. Ergo consultum fuerit, uxori potius ab initio subuenire, quam post vulneratam causam remedia quaerere. Deinde restitutio dotis etiam propterea facienda, ne alimentis interim defraudetur uxor; quibus ob pactum, de lucranda dote, nihil decedit. Repetet ergo uxor dotem ob inopiam mariti, eandem restitutura, si prior fatis functa fuerit. BRVNDEM. ad l. 29. C. d. iur. dot. n. 8. Neque porro distinguimus, siue maritus dolo suo, uel casu fortuito, ad inopiam redactus. Contrarius hic nobis ex parte est MOLLFBEC. tit. solut. matrim. n. 11. et negat uxori repetitionem, si casus fortuitus causa inopiae extiterit. Sed concursu moro ullam differentiae rationem nec diuinando assequi licet, cum uxor alias reliquis creditoribus postponeretur, et jacturam dotis omnimodam incurreret. At concursu nullo imminentे circumstantiis aliquid tribui posset, in primis si periculum dotis, ex ulteriori detentione, immineat; sed si hoc non sit, marito non male relinquetur. Add. GAIL. Lib. II. obs. 83. num. 17. Dolo uero decoctori marito eandem

CONSTANTE MATRIMONIO REPETENDIS. 19

dem reliaqui, ipsa ratio dissuadet; nisi lupo ouiculam tuto concredi posse existimes. Amplius nihil interesse putamus, siue ipsa uxor siue tertius dotem repetere uelit. Illud tamen supponimus, tertio alias dotem, soluto matrimonio, repetendi facultatem comperere. Quod non aliter procedit, quam si, dotem sibi restitui, expresse stipulatus fuerit; nisi hoc, uixori eandem donasse intelligitur.

l. un. §. 13. C. d. Rei Ux. Act. Ergo extra casum promissae tertio restitutionis uixori repetere permittitur. Interim, tertio repetente dotem, in aprico est, fructus durante matrimonio ex re dotali prouenientes ad ipsum nullo iure pertinere, sed uixori pro sua et mariti sustentatione restituendos. Extendimus etiam repetitionem dotis ad ficerum bonis labentem. Nempe solent parentes quandoque filios nouellos maritos in coniuictu retinere, et ipsis, cum uxore et liberis eorundem de necessariis prospicere. Quo casu, cum onera matrimonii sustineant, etiam fructus dotis, a nuru filio illatae, percipiunt. Ibi enim dos esse debet, ubi sunt matrimonii onera *l. 56. §. 1. et 2. ff. de jur. dot.* Si itaque ficerum minus prospera fata bonis exuerint, contra illum actionem de repetenda dote uixori omni dubio procul concedendam iudico.

Add. GODQFR. *ad l. 24. ff. solut. matrim.* Eadem quo-

que priuilegia et iura in bonis soceri tribuenda esse,
 quae alias in bonis mariti competit, non obscure
 ex l. un. §. 1. C. d. R. U. A. verb; *sive aliae pro his*
personae etc. colligitur. De obaerato, cui uxor
nupsit sciens, non leuis exoritur dubitatio. Alii
 simpliciter eidem ob culpam admislam, repetitio-
 nem denegant: Alii e contrario simpliciter admit-
 tunt. Ubi quidem negari non potest, facile uxo-
 rem excusari ex eo, quod sperasse censeatur, mari-
 tum, suis opibus adjutum, ad meliorem fortunam
 peruenturum; adeoque durum nimis fore, si quis
 propterea eandem omni jure excludere uellet.
 Nihilominus tamen distinguendum censeo, an no-
 ua causa dotem repetendi superueniat, nec ne. Et,
 priori casu dotis repetitionem concedendam esse,
 nullus omnino dubito. Itaque *concursu excitato u-*
xor audienda utique fuerit. Sed ubi res in eodem
 statu manferit, conquerendi causam omnino nul-
 lam habere uidetur. Add. *Decis. El. VI. BRVNEM. ad*
l. 29. C. d. jur. dot.

§. XI.

Non uero locus est repetitioni, si uxor proprio
 dolo uel culpa inopiae causa extitit. Nec imme-
 rito tunc applicatur tritum juris Brocardicum:
damnum, quod quis sua culpa sentit, non intelligi-
tur sentire. Add. *c. 86. d. R. I. in 6.* Expressa istud
 con-

sup

CONSTANTE MATRIMONIO REPETENDIS.

confirmatur cit. *Dec. El. Nov. VI. in fin. Add. Regio-El.
Mand. de Bancorupt.* quod adjectum *O. P. R. sub num.
XXIV. §. 1.* *BRVNREM. Tr. d. Proc. Conc. Cap. V. §. 31.*
Quamuis negari haud possit, non semper rigorem
juris debite in praxi attendi; sed plerumque uel ab
incautis creditoribus non opponi, quae uxori op-
poni possent, uel opposita non satis sufficientia ha-
beri. Possemus etiam huc referre casus, quibus uxor
dotem plane amittit, u. g. si adulterium commiserit
etc. sed cum ita dissoluatur matrimonium, nobis e
contrario propositum sit, agere de causis dotem
constante matrimonio repetendi, missam non im-
merito facimus illam materiam. E contrario nota-
mus, dotem, in immobilibus consistentem, et casu
fatali peremptam, non restituendam esse; sin adhuc
in natura extet, uxori restituitur, quamuis deterior
sit redditus, modo illud absque mariti culpa factum
fuerit. Hanc enim praetari debere, per se intelli-
gitur. Et regulariter ad culpam leuem, ex notissimis
juris nostri principiis praestandam, maritum ad-
stringunt. Non tamen praeter eunda distinctio in-
ter dotem aestimato, et quidem uenditionis causa,
uel in aestimato traditam. Sed ut eadem distinctio
satis nota, ita nolumus jam prolixe commemorare,
dote uenditionis causa aestimata, periculum esse
mariti, adeoque et ipsum de damno, quo dos dete-

rior redditia, et casu fortuito, teneri; cum ex aduerso aestimatio taxationis causa eundem pariter non obliget; et multo minus dere non aestimata, damno fatali interemta, ipsi respondendum sit. Sed in quantitatibus, atque mobilibus in dotem datis, maritus dominus fit irreuocabilis, et propterea res dotalis ipsi simpliciter perit, nisi forte nomen aliquod actuum in dotem datum, hoc enim maritus, si nulla ipsius culpa inexigibile redditum, cedere potest, quale nunc est. BRVNNEM d. Proc. Conc. Cap. V. §. 36.

§. XII.

Tandem de effectu dotis repetitae uidendum, de quo ita disponitur in l. 29. C. d. jur. dot. mulier nullam habeat licentiam eas res alienandi, uiuente marito, et matrimonio inter eos constituto: sed fructibus eorum, ad sustentationem tam sui, quam mariti, filiorumque, si quos habet, abutatur. Circa hanc dispositionem sequentia exoriuntur dubia, num marito administratio tantum, uel potius omne jus auferatur? num in id quod superest, post alimenta deducta, creditoribus aliquod jus competit? num administratio et ipsa dos, si ad meliorem fortunam aspirarit, marito restituenda? Primum quod attinet, siquidem ipsa legis uerba pressa sequenda ducas, in totum maritus ab administratione et usufructu exclu-

CONSTANTE MATRIMONIO REPETENDIS. 23

cludendus uidetur. Verum recte subductis rationibus manifestum redditur, dotis repetitionem ideo concedi uxori, quo ipsius securitatis sit prospexitum; et fructus propterea relinqui, ne egeat; cum enim maritus alimenta, ad quae jure tenebatur, praestare non possit, merito haec uxor ex fructibus dotis a se illatae percipit. Si uero ipsi cum marito et liberis tam large cautum sit, ut nec omnes dotis fructus impendere necessarium sit, sane reliquum de fructibus marito abjudicari nequit. Nec paupertas idoneum contrariae sententiae suggestum argumentum. Vbi uero jam reliqui fructus marito cedunt, nec apparet, quid creditores suo jure excludere debeant, quo minus maritum desuper conueniant, et dationem in solutum urgeant. Evidem in *L. cit.* adjicitur: *creditoribus scil. mariti contra eum, ejusque res, si quas postea forte acquisuerit, integra sua iura habentibus &c.* Et sic aetio circa fructus dotis denegari uidetur. Sed procul dubio supponendum casus, ubi nihi reliqui de fructibus factum. Caeterum tamen creditoribus non ita in hoc casu procedere licet, uti alias, si debitor ad beneficium competentiae prouocet, sed largius *cum uxore et liberis agendum,* quippe qui ipsi nihil debent; et propterea iniustum foret, eosdem tenuibus alimentis contentos esse, reliquumque

que creditoribus cedere, jubere uelle. Ergo non quidem luxui eorum fauendum, sed tamen nec nimis parce, et ueluti cum debitore, agendum, quin potius curandum, ut sufficienter prospectum fit. Quae omnia *Ord. Proc. Rec. tit. XXXIX. §. ult.* conueniunt. Habentur enim ibi sequentia: *Also soll auch dieselbe (Execution) in die Nutzungen oder Zinsen, welche der Schuldner ui usufructus daraus zu erheben hat, anderer Gestalt nicht geschehen, als wenn dem Ehe- uveibe und Kindern zu fordert derer Alimenten bat- ber zulänglich prospicere worden. Nec dubito, denique dotem, si maritus uires recollegere, restituendam esse. Fundamentum enim actionis de dote repetenda fuerat inopia mariti; hac itaque cum benigniori sorte commutata, cur maritus dif- ficius dote carere debeat, ratio non appetat.*

§. XIII.

Antequam ab hac materia discedamus, non praeterire possumus *in* *neptias*, quas interdum admittunt Aduocati, cum, nomine uxorum, usuras dotis moto concursu petunt, uel, si etiam plane nulla dos illata, alimenta sibi adjudicari, eique rei peculiarem sortem destinari, contendunt. Primo enim usuras uiuo marito, penes quem jure suo dos est, petere, plane *ἀλογέντι* est. Si quidem nec mora, nec conuentio, nec lex, nec aequitas, huic petitio

CONSTANTE MATRIMONIO REPETENDIS. 23

petito patrocinatur, et *Ord. Proc. tit. 50. §. ult.* ca-
sum, quo marito mortuo, dos repetitur, supponit.
Praeterea, alimenta petere ex aliorum bonis, non
minus incongruum. Quod enim in debitibus est,
id aes alienum nuncupatur, et quasi extra bona
mariti esse censetur, cum bona non intelligantur.

✓ nisi deducto aere alieno.

§. XIV.

Argumento eorum, quae haecenüs exposita,
alias addunt causas, dotem constante matrimonio
repetendi, nempe si maritus in bannum inciderit,
BRVNREM. ad l. i. C. d. repud. uel relegatus, uel uxor
domo expulsa, uel etiam alias dotis aut alimen-
torum conditio durior reddatur. Vbi quod pri-
mum attinet, rem dubio carere existimo, cum
maritus in manifestam inopiam incidat ob con-
fiscationem bonorum. Sed in reliquis judicis
arbitrium omne punctum feret, qui id ex circum-
stantiis ita temperabit, ut inquirat, num ali-
mentorum conditio reuera durior reddit. Id
uero dici non potest, si uxor maritum alibi habi-
taturum sequatur, ad quod etiam regulariter te-
netur. *LAVT. Coll. Pr. tit. d. rit. nupt. §. 90.*

§. XV.

Haec itaque sunt, quae de causis, dotem et alia
bona uxorum repetendi, dicere usum est. Ad-

D

jice-

48 DE DOTE ALIISQ. BONIS CONST. MATR. REP.

jicerem etiam *actiones* cum in finem proditas,
nisi eadem in omnibus compendijs haberentur;
in primis recenset illas LAVT. tit. sol. matrim.
§. 3. Suffecerit ergo in his substitisse; si quid uero
omissum, quod adjici potuisset, aut minus recte
dictum, quod melius dici debuisset, mihi in hoc
genere minus exercitato ueniam det, atque abitus
ex Academia maturandi gratia nonnihil festinan-
ti condonet, rogo. Licet caeteroquin uulgaris
haec sit materia, tamen et non uulgaria omnia
a nobis proposita esse, persuasum habeo.

F I N I S.



XVII

Hec videlicet duplex est certe deponit
post exortum letationem glorie militum est
D.



Sb.





1728
56. 21
19

10/11.

DISSERTATIO JVRIDICA
DE
**DOTE ALIISQVE BONIS
CONSTANTE MATRI-
MONIO REPETENDIS**

QVAM
PRAESIDE
**IOANNE FRIDERICO
VVERNHERO D.**
FAC. JVRID. ASSESS. EXTRAORD. CVR.
PROV. ET CONSIST. ECCL. ADVOC.
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
D. I. SEPT. M DCC XXVIII.
IN AVDITORIO JCTORVM
HORIS CONSVENTIS
VENTILANDAM PROPONET
AVCTOR ET RESPONDENS
ANDREAS LENCKE
WERNESGRVNO-VARISC.
VITEMBERGAE
EXPRESSIT CHRISTIANVS ZIMMERMANNVS ACAD. TYP.